

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

D.Andreae Osiandro S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

et feliciter uale. Die Andreæ. Hodie adcrit Do-  
ctor Chilianus, pulsus ex Salinis.

D. Andreæ Osiandro S. D.

198.

Ex literis Viti intelleximus, honestissimam ma-  
tronam, coniugem tuam, exemptam esse rebus hu-  
manis. Hic casus multis bonis et doctis magnum do-  
lorem in urbe nostra atulit, qui tuo lætu adficiun-  
tur. Sed ego hoc magis doleo, non solum quod fami-  
liaritas et beneuolentia inter nos maior est, quodq;  
est quedam studiorum et sententiarum societas:  
sed etiam quia uidi coniugem tuam, cum memini que  
illius uirtus fuerit in omni officio: uidi et paruos li-  
beros. hæc mihi omnia in oculos incurrebant, Viti  
literas legenti. Itaq; et tuo mœrore moueor, et il-  
lud decus matronarum penè in ipso flore extinctum  
esse ualde doleo. Etsi autem te ad grauitatem et mo-  
derationem natura finxit, tibiq; nota sunt omnia  
quæ ad consolantionem à doctis uiris colliguntur:  
tamen ut in bonis naturis et opibus sunt expressissi-  
me, arbitror illas in te magnopere dolorem auge-  
re. Quare non dubito, quin tecum uehementer lu-  
cteris. ipso enim dolori difficulter repugnas. Pre-  
cor igitur Dominum nostrum Iesum Christum, qui  
nostris ærumnis se adfici testatur, ut te adiuuet atq;  
erigat. Nam Stoica illa præcepta, ut ne doleas, non  
solum inania sunt, sed etiam auditu crudelia atque  
iniusta: et ab ea philosophia, quam nos probamus,  
reiecta

reiecta & damnata Christianis sententijs. Odit enim  
 Deus *τὸς ἀγέφυγτος*. Quare quod luges, homi-  
 nis est à natura bene instituti. Et pie itaq; modera-  
 re luctum, et repugna dolori. Quod quidem facies,  
 cum cogitabis Dei uoluntate uniuersum genus hu-  
 manum ingentibus calamitatibus subiectum esse: et  
 coniugem tuam non casu extinctam, sed Dei conse-  
 lio ad immortalitatem euocatam esse, & à te sic a-  
 liquantisper auulsam, ut paulo post Deus consuetu-  
 dinem uestram uobis longè meliori conditione red-  
 diturus sit, ubi unà fruētes aeterna luce, de Deo sua-  
 uissime colloquemini, ac longè uincet presentē sua-  
 uitatem & consuetudinem illa futura piorum con-  
 iugum *ἡσυχία*. Sed cum sciam te omnia que  
 huc pertinent, sine monitore colligere, nolui esse  
 prolixior. Hæc tamē breuiter scripsi, quòd arbitra-  
 bar ad amici officium pertinere, tali tempore osten-  
 dere se amici casu affici. Ego uerò ex animo adfi-  
 cior: teq; oro, ut has literas boni consulas. Adscri-  
 bam etiam remedium *ἀρετῶν*, quod mihi in sum-  
 mis animi perturbationibus in primis opem tulit:  
 Onerandus est animus occupationibus, quibus ab-  
 ducatur à cogitationibus de interitu cōiugis: & pu-  
 to tibi nō deesse negocia. Sadoleti epistolam ad me  
 scriptam, te uidisse arbitror: misi enim Vito exem-  
 plum, De nostris studijs et de Republica scri-  
 bemus aliàs. Bene uale.

x 2 Amico